

**LVCTVM PATRIAE**  
**EX DECESSV**  
**VIRI**  
**NOBILISSIMI AMPLISSIMI**  
**PRVDENTISSIMIQVE**  
**WALTHERI BECKHOF**  
**INCLYTAE**  
**REIPVBL. HAMBVRGENSIS**  
**PER ANNOS FERE XXIX**  
**SENATORIS**  
**AC DEMVM**  
**PROTOSCHOLARCHAE**  
**TOTIVSQVE ORDINIS SENATORII SENIORIS**  
**GRAVISSIMI MERITISSIMI DESIDERATISSIMI**  
**CVIVS**  
**FVNERI**  
**PRID. CAL. IVL. A. MDCCXXVII**  
**SOLENNI RITV IVSTA SOLVENDA SVNT**  
**PAGINA HAC INTERPRETE**  
*DOLENTER SIGNIFICAT*  
**MICHAEL RICHEY**  
**HISTOR. ET GR. LING. PROF. PVBL.**  
**ET H. A. GYMNASII RECTOR.**

**HAMBVRGI**

**LITERIS CONRADI KOENIGII SENATVS AMPLISS.**  
**ET GYMNASII TYPOGRAPHI.**



uae ante quinquennium mihi Gymnasii Re-  
ctorem agenti felicitas contigerat, vt nullus  
omnino casus me publici luctus interpretem  
posceret; eandem equidem hoc etiam anno,  
iisdem vicibus ad me reuolutis, habui ante  
omnia in votis, nec quidquam cupi arden-  
tius, quam vt, Patria salua, Patrumque  
Optimorum vel integra valetudine, vel se-  
nectute firmata, liceret a funebri saltem  
scriptionis officio vacare. At vero tantum  
abest, vt huius voti compos factus fuerim,  
vt vnus plane idemque dies de improviso  
duo simul funera attulerit, alterum quidem  
ciuili vniuersae, alterum literariae reipublicae,  
vtrumque in primis Gymnasio nostro graue,  
& mihi, pro religione muneris, diserta ac  
publica doloris significatione prosequendum.

Scilicet vno eodemque die, qui erat VIII. Cal. Iul. non Professore tantum amissimus doctrina ac fide nobilissimum, sed PRO-  
TOSCHOLARCHAM quoque meritis pariter atque auctoritate grauis-  
simum; in quo praeterea Ciuitas SENATORIS prudentissimi & PATRIS PATRIAE spectatissimi iacturam fecit.

**BECKHOFIVS** est, Lector, quem octogenario quidem proximo, & morbo non minus quam senio fractum, iam tandem placide componi non indignatur Respublica; eadem tamen simul in diuturno meritorum eius vsu, tanquam in peculio suo, defixa, subtractam tanti Viri virtutem dolenter respicit, canitiemque illam, velut necdum sepulcro maturam, desiderat ac reposit.

**BECKHOFIVS** est, in cuius vita & laudibus perscribendis, cum neque animus, geminato officio distentus, neque tempus, ob festinandas exsequias valde contractum, mihi sufficiant, breuiter duntaxat nonnulla perstringam. Cetera pro dignitate loquetur vox patriae communis, nec amplitudinem rerum bene gestarum posteritas reticescet.

Editus in lucem est **WALTHERVS BECKHOFIVS**  
 Hamburgi A. MDCXLVIII. Nonis Decemb. patre IOANNE  
 BECKHOFIO, Mercatore nobilissimo, qui ex Bremensium  
 Traiectu seu Voerda ortus, fixa Hamburgi fortunarum suarum se-  
 de, & Cuius inter primarios haud infimus, & familiae iam apud  
 nos florentissimae conditor existit: matre ELISABETHA,  
 WALTHERI de HERTOGHE & MARIAE, natae de  
 HASEDONCK, filia. Ab his parentibus non monitu magis &  
 praeceptis, quam praesentissimis virtutum exemplis, ad rerum vti-  
 lium scientiam, cum pietatis atque honestatis studio coniunctam,  
 perfectissime educatus est.

Mirabitur forte quispiam, tam egregiae indolis puerum, in  
 quo praeclara vis ingeni memoriaeque mature perspiciebatur, non  
 fuisse literarum potius studiis, quam mercaturae consecratum. Sed  
 mirari desinet, qui intelligit, quantum non priuatae solum, sed  
 etiam publicae rei interfit, ad commercia adhiberi non illas dunta-  
 xat mentes, quas Musae a delectu suo reiciunt, sed praestantissi-  
 ma quoque ingenia, quorum alacritate & consilio neruis ille atque  
 anima rerum publicarum sustentetur. Nouerat enim expectus  
 WALTHERI pater, quid valeat in negotiis terra marique vel  
 suscipiendis vel promouendis animi vigor & cauta ac prouidens sa-  
 gacitas, contra vero, quam parum in his proficiat tarditas & stupor:  
 nec illi homines placebant, qui qualicumque ingenio a natura praediti,  
 in magna illa & fere nimia eruditorum multitudine nomen suum  
 profiteri, longaue expectatione raram aliquam aut ancipitem for-  
 tunam captare malunt, quam mercatorio opere scienter suscepto,  
 frequentiore rei non ignobilitate amplificandae occasionem expe-  
 riri. Itaque filium, qui per se ipse ad patrium illud vitae genus pro-  
 pendebat, mature applicuit ad ea tractanda, quibus constat, vrbes  
 copiosissimas, & locupletiores in his familias plerumque effloruisse.

Non ea vero erat WALTHERI nostri animi humilitas, vt  
 omnem suam industriam illico in solum abacum aut rationarium  
 defigendam arbitraretur, reliqua vero omnia negligenda, quae ad  
 liberaliorem quamlibet atque elegantiore disciplinam pertine-  
 rent. Quin caute intelligebat, debere se non sibi tantum suisque  
 commodis, sed patriae etiam adulescere. Quapropter qualibus-  
 cunque Latinae linguae elementis e quouis triuio acceptis, & in-  
 firmitate sua ad certam deinceps obliuionem spectantibus, neuti-  
 quam contentus, eo usque in schola publica se erudiri passus est,  
 vt Gymnasio iam aptus, & ea literarum scientia imbutus esset,  
 quam nullum facile temporis interuallum deleteret. Cuius consilii  
 certum ac frequentem postea fructum percepit, quum ad res

agendas honorationi inter ciues loco admoueretur. Tum enim, si quid occurrebat, quod hominem vel mediocriter eruditum posceret, nec haesitandum erat Nostro, nec aliena scientia acquiescendum, sed perspecta statim omnia, & in promptu facultas, tum recte cogitandi, tum decenter nec incondite dicendi.

Ad istam animi culturam cum addidisset variarum etiam linguarum, quibus hodie gentes utuntur, cognitionem, iamque in mercatura facienda haud exiguam sibi facultatem disciplina atque usu comparasset, de peregrinis quoque terris ad eundem cogitauit, tum ut semet ipse cultissimarum gentium exemplis magis magisque expoliret, tum ut perspectam regionum naturam, incolarumque fidem & consuetudines in rem suam conuerteret, ac negotiorum suorum successum vel firmaret, vel amplificaret. Itaque A. MDCLXXXIII lustrato utroque Belgio, in Angliam traiecit, atque post reditum in patriam, interposita breui mora, A. MDCLXXXV iterum se itineri accinxit, ac per Brabantiam in Galliam contendit, eamque, iuxta ac Germaniam uniuersam, utiliter & curiose peragrauit.

Ita cum esset ad patrios lares reuersus, resque suas iam recte constitutas & florentes haberet, matrimonio etiam paulo post felicibus auspiciis contracto; nihil superesse dignius videbatur, quam ut praeclaras illas animi dotes, & consilii iudiciiue facultatem multa experientia subactam, in communem Reipublicae usum expromere iuberetur. Nec defuit occasio crebra & luculenta, quae eius virtutem pro patria deposceret: quandoquidem omnibus fere officiis ciuilibus, quae apud nostrates cum grauiora tum honorationa censetur, ex ordine admotus est; siue in concilio Mercatorum Praesidem ageret, siue militiae & stipendiorum curam gereret, siue in iudicio inferiore causas cognosceret, siue denique alia quacunque munerum publicorum functione occuparetur. In his vero omnibus tanta fide ac industria, tanta moderatione ac prudentia versatus est, ut non Ciues tantum exempli eius praestantiam gererent in oculis, sed ipse adeo SENATVS AMPLISSIMVS ad eum respiceret, tanquam ad virum, cui, data quamprimum occasione, honor gerendi Magistratus posset deferri.

In SENATVM igitur lectus est Nonis April. A. MDXCVII eoque ipso amplissimo dignitatis incremento ad sublimitis etiam ar-

dentiusque pro patria studium accensus. Nihil sane in eo desideratum est, quod ad partes adeo arduas laudabiliter explendas peritineret. Erat enim consilio promptus ac prudens, in negotiis animi iustrandis indefessus, iusti ac recti tenax, seipublicae amans, iungo ciues humanus, & si quid ex lege feuerius agendum esset, rigorem grata quadam & decenti lenitate temperabat. Quemadmodum vero in fastigiis rara est ab omni aeris iniuria securitas, ita suborta aliquando in republica tempestate, eodem loco positum intellexit Noster, in quo nec insolens nee in gloriam esset, aliquas sustinere vices, & temporum importunitati cedere, quod & caute fecit, donec, dispulsis nubeculis, integra Magistratus auctoritas, & sua quoque pristina dignitas lumine nec quidquam diminuto resplenderet. Praeturam gesit A. MDCCV. indeque omnia illa ex ordine munera, quae sigillatim in Senatores Amplissimos, pro aetate succedentes solent deuolui. In his esse nullum fuerit, siue ad rem urbanae nam aut militarem, siue ad rusticam aut maritimam spectans, si in quo administrando BECKHOFFVS summae dexteritate non fuerit versatus; nostra tamen in primis interest, SCHOLARCHAM TVM eius commemorari, quem ita gesit, ut Gymnasium pariter ac Ioannea bonarum mentium officina satis habeant causae, cur Viri Optimi memoriae, ad voluntatem propensam, providentiam liberalem, & curam vigilem ac paternam, perpetuum statuano monumentum. Cum hoc virtutum praemio, quod in amplissimae dignitatis ornamentis, ad supremam usque aetatem gloriose gestis, consistit, coniungenda etiam est singularis quaedam rei familiaris & domesticae felicitas, qua Deus spectatam BECKHOFFI fidem ac pietatem beavit. Coniugem sibi exoptatissimam adsciuerat A. MDCLXXXVI. XII. Cal. Maii virginem honestissimo genere ortam, & omnibus virtutum ornamentis conspicuam CATHARINAM ELISABETHAM BOSCHAERT, spectabilis viri DIETRICI BOSCHAERT, Ciuis ac Mercatoris nobilissimi, & AGATHAE de OVERBECKE filiam. Cum hac ad annum usque MDCCXIX. IV. Cal. Aug. (quo desideratissima haec vitae socia, post XXXIII. annorum consuetudinem, ipsi per mortem erepta est) non tantum peramanter & ex animi sententia vixit, sed tali etiam, qualem rari coniuges experiantur, felicitate gauisus est, ut procreatos a sese liberos, praeter vnam, quae ne viuam quidem edita est filiam,

filiam, omnes videret laudabiliter adultos, omnes auspiciis matrimonii elocatos, omnes denique rebus vrentes quam florentissimis. Nati quippe ei sunt: AGATHA, A. MDCLXXXVII, quae A. MDCCXII Petro Peinborstio nupsit: IOANNES DIETERICVS, A. MDCLXXXIX, cui A. MDCCXV vxor obrigit Sara Boschaert: ELISABETHA, A. MDCXC, quam A. MDCCXV in matrimonium duxit Andreas Beckhofius: WALTHERVS, A. MDCCXIII, qui A. MDCCXVII coniugium iniiit cum Sara Elisabetha Schroederia. Hos suos siue filios, siue generos, (quos omnes, excepto Peinborstio, adhuc superstites, & mercatura florentes, Respublica primariis suis ciuibus annumerat) nepotibus neptibusque omnino vndecim auctos vidit, ex quibus qui superuiunt quinque, vt, iuxta cum honoratissimis parentibus, quam diutissime superuiuant, & auitae paternaeque cum aetatis tum gloriae mensuram aliquando impleant, Deum enixe veneramur.

Tandem vero in Sene Optimo, annis, honoribus ac fortunis iam prope ad satietatem cumulado, mortalitas ius suum exsequi, & in corpore, pro patria fatigato, ruinam experiri constituit. Etenim A. MDCCXXIII. XV Cal. Mart. ictu quodam sanguinis, & neruorum remissione, quam ἀπόπληξι vocant, correptus est. Cui malo tamen Medicorum ope ita fuit obuiatum, vt vita saltem salua esset, memoriae tamen vsus fere subductus vltiorem negotiorum gestionem impediuit. Cumque interea senectus quoque ipsa indies ingravesceret, magis etiam magisque membris excessit vigor, & corpus sensim elanguit; donec tandem BECKHOFIVS, vitae satur, Deo charus, coeli cupidus, VIII. Cal. Iul. die ad vesperam vergente, inter preces & pia suorum officia, animo plane tranquillo, & obitu perquam placido exspiraret.

Ita, post viuendi spatium ad annos LXXVIII. menses VI. atque dies VIII. productum, Vale tandem nobis dixit Vir meritis & virtutum exemplis ad omnem posteritatem inclytus, in quo SENATVS AMPLISSIMVS Collegam amisit, fide quidem & dexteritate nemini secundum, muneris autem diuturnitate iam inde ab A. MDCCXXI. omnes sui Ordinis Viros Spectabilissimos antegressum. Amisit Respublica decus certissimum, & integerrimum salutis ac libertatis pro virili vindicem, quem votis omnibus ab occasu reuocatura esset, nisi pietas iuberet defesso ac emerito requiem non inuidere.

No.

